

sacerdos dei excelsi benedixit Abram, sacer profano; et ego reuera tibi iam saepius uel inscio in diuinis etiamnum sacrificiis aliquoties benedixi, utque tu ac tua omnia salua essent, numen adorauit, quod his literis sancte assero, ut constanter persuasum habeas, me uere te amare obseruareque, nihil abs te exigere, nisi ut me mutuum ames et aliquando tersissimis literis oblectes et ornes nec unquam patiaris te in amore deuinci, quod faciens tibi gloriam, mihi decus paries. Vale feliciter. Ex Museo nostro Rauenspurgi. X. Kls. Aprilis MDXX.

Aus dem Cod. lat. Monac. 4007, fol. 120 b e fol. 121 a.

Constanz.

XXIX.

26. März 1520.

Joannes Botzhemus¹ J. U. Doctor et Canonicus Constantiensis
Michaeli Hummelbergio Rauenspurgensi S. P. D.

Retulit mihi doctissime Michael tuum in me bonae salutis uotum et idem saepius repetitum consobrinus tuus, Doctor Joannes Menlishofer,² amicissimus meus, homo omnibus amari dignus. Is ut alias frequenter, sic hoc me hilarauit laetitia, dum amicitiam meam te desiderare aiebat, cuius iam pridem magno mihi redimenda fuerat, si licuisset; iamdudum enim egregios ingenii tui uirtutes animus meus rescuiuit, sed cum me inferiorem agnouissem quam ut tecum literis agere conueniret, consultius mihi fore existimabam a scriptione (uerecundiae fuco) temperandum quam temeritate labendum, mutauit autem consilium meum uulgata illa tua, qua polles, modestia doctrinarumque tuarum insignis excellentia, quarum ut ipse maxime sum expers, sic easdem sitio maxime. Addidit autem nonnihil feruoris animo meo Faber ille noster, Constantiensis uicarius, qui me nescio qua fascinauit amicitia et ita me fascinauit, ut alter ab altero fere nunquam absit; is proximis diebus mihi

¹ Johannes von Botzheim mit dem Beinamen Abstemius, ein feingebildeter humanistisch gesinnter Domherr, Freund des Erasmus, den die Zimmer'sche Chronik III. 205, wie es scheint, sehr gut mit den Worten charakterisirt: „ein holdseligs, höflich's Männle, ein guter Musicus“, war 1480 geboren und starb zu Freiburg im Breisgau 1535.

² Joannes Menlishofer war ein wissenschaftlich gebildeter Arzt.